B. N. C.
FIRENZE
1038
18

Aſſertiones Medicæ

DE MELANCHOLIA

Quas

ASPIRANTE DIVINO NVMINE SVB PRAESIDIO

CLARISSIMI VIRI, EDMVNDI HOLLYNGI, ANGLI, PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ Doctoris ac profeſſoris ordinarij, &c.

IN ALMA ET CATHOLICA INGOLſtadienſi Academia publicè defendet

M. GEORGIVS GREMBS BAMBERGENSIS.

Die [illegible] Auguſti,

Anno M. DCII.


GEB
BIBE
BER

AD INSIGNIA RE-
VERENDISSIMI AC ILLV-
STRISSIMI PRINCIPIS E-
piſcopi Bambergenſis.

QVàm benè conueniunt tibi ſymbola, maxime præſul,
Quæ Bambergiaco digmate aperta nitent?
Cæſareum DIADEMA, *opibus regalibus vti*
Te notat in miſeram turbam inopumq́; gregem.
Quid CRVX, *quidue* PEDVM *eſt, niſi ſollicitudinis index,*
Qua tibi commiſſos aduigilando foues?
Stat geminus LEO: *ſed feritas inhibetur ab haſta*
Traiecta: hic comem te docet eſſe tuis.
Ex campo aduerſo CAPRICORNVS *ad ardua tendit,*
Ceruicumq́; tenus ſpectat vterq́; polum.
Sic licet humanâ te noris origine natum,
Mens tamen ad cœlum fertur amore Dei.
Lis igitur grauis eſt, an tu virtutibus ornes
Signa: tibi an pariant ſigna PHILIPPE *decus?*
At lis Aſtræâ ſopitur iudice: ſigna
Nobilitat virtus, quæ tibi propria ineſt.

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOmino Domino Ioanni Philippo Epiſcopo Bambergenſi, Domino & Mecænati ſuo clementiſſimo.

POST multos ac graues in arte medica perdiſcenda exantlatos labores, priuſquam doctoris nomē & inſignia prenſarem, ſpecimen aliquod, è quo facilè, quales in ſtudijs iſtis progreſſus feciſſem, conſtaret, exhibendum arbitratus, diu multumq; deliberaui, quam è diuite medicinæ penu materiā promerem, quæ neq; à legentibus, neq; à diſputantibus, ceu paſſim obuia, nimiſque trita, parui admodum penderetur. Tandē verò conſilio & auctoritate nobilis & clariſſimi Viri Domini Thomæ Mermanni à Schönberg, archiatri & conſiliarij Bauarici, primùm patroni, nunc verò & ſoceri mei colendiſſimi, adductus, morbi, quem melancholiam vocant, naturam, ac curandi rationem, ad publicam diſſertationem propono: malum humano generi crebrò infeſtum, ac non

ægroto-

ægrotos modò, verùm & ipſos medicos ſubinde haud mediocriter fatigans. Res eſt non ſanè ita prompta, quin altiùs in ſcriptorum tàm antiquorum, quàm recentium loca & ſenſa abdita, ad exactam eius notitiam conſequēdam, ſeſe immittere oporteat. Cui verò inſciberem aſſertiones haſce, ac tanquam primitias ingenioli mei offerrem, nulla prorſus dubitatio, nulla vnquam cunctatio apud me fuit. Tu princeps es, tu dominus, & patriæ quæ me genuit, pater, tu ſtudiorum meorum fautor ac Mecænas liberaliſſimus, tibi idcircò debetur, in tuo imperio ac nutu eſt, non hoc modò munuſculum leuidenſe, verùm etiam quidquid ſum, quidquid valeo, ſi quid valeo. A laudibus tuis commemorandis ſuperſedebo, ſi vnam duntaxat de mille attigero, te nimirum, nulla gratia, nullo fauore, ſed virtute, prudentia, rerumq; plurimarum vſu nitentem, tot nobiliſſimorum virorum ſuffragijs, in luce iſta ac faſtigio poſitum. Hæ ſunt cultus, quem Celſni. Tuæ ſummo iure defero, cauſæ iuſtiſſimæ. Accipe igitur, clementiſſime princeps, benigniore vultu, munuſculum clientuli humilimi, ceu perpetuæ obſeruantiæ, ac grati animi argumētum, quo, dum maius dare hoc tem-

pore nequeo, Deum Opt. Max. rogabo, vt Celſ. Tuam bono publico pręſtet ac ſeruet quàm diutiſſimè incolumem. Monachij Kalend. Auguſti Anno M. DCII.

Reu^mæ^ atq; Ill^mæ^ Celſ^nis^ T.

Obſequentiſſimus cliens.

Georgius Grembs
Bambergenſis.

IV

DE MELANCHOLIA

ASSERTIO PRIMA.

MElancholiæ nomen duo notat, humorem ſcilicet nigrum, & corporis affectum præter naturam, ab eo progigni ſolitum: nos primo loco de humore, ſecundo de affectu melancholico agemus.

II. Humoris melancholici Galenus duo agnouit genera: vnum naturale, quod fæx eſt in ſanguine ſubſidens, ſuccus ater, ſiue melancholicus nuncupatum: alterum præter naturale, quod atra bilis propriè vocatur, non per reſidentiam, ſed aduſtionem factum.

III. Melancholia naturalis, ſiue melancholicus ſuccus, fæx ſanguinis dicitur, ſimilitudine à vino deſumpta: ſicut enim in ebullitione muſti, dum id vinum fit, duo excrementa generantur, vnum tenue, quod florem, alterum craſſum, quod fæcem vocamus: ita quoque dum ſanguis ex chylo generatur, quod dulciſſimum ac tenuiſſimum eſt, in bilem, quod craſſum ac terreum, in fæcem quandam conuertitur: medium autem, in ipſum vocatum ſanguinem, qui ſicut vinum inter duo excrementa medius eſt. Gal. 2. de facult. natur. vltimo.

IV. Fæcem

IV. Fæcem hanc ſanguinis, inter quatuor corporis noſtri humores recipiendam eſſe, cum Hipp. & Gal. ſtatuimus, quidquid Cardanus contra diſputet, eam ſcilicet à ſanguine diuerſam non eſſe contendens.

lib. 1. cõtradict. tract. 3. cap. 18.

V. Cur verò Hipp. melancholiam aquam appellârit, duæ rationes occurrũt, prima eſt à Lazaro de Soto tradita, quòd ſcilicet hic humor inſtar coaguli ſeu fermenti, ſua frigiditate, craſſitie & acerbo ſapore, fluidam ac liquidam ſanguinis partem cogat, ac ſerum exprimat, quemadmodum in lacte calente eſt videre, quod iniecto aceto coagulatur.

lib. de genitura & 4. de morbis.

VI. Fermenti quoq; rationem habet, ſicuti enim triticea maſſa abſq; fermẽto conſiſtere nequit, ita & ſanguinis maſſa, ſine hui⁹modi humoris admixtione, nõ cohæreſceret.

VII. Altera ratio ab Andrea Laurentio in ſua anatome eſt allata, quòd nimirum melancholicus humor plurimum ſeri habeat, illo, cum craſſiſſimus ſit, tanquam vehiculo indigens, melancholicos autem ſero abundare, argumento eſt, quod quartanarij omnium copioſiſſimè ſudent & meiant, ac melancholici ferè omnes ſint ſaliuoſi ac ſputatores.

lib. 6. cap. 21. quæſt. 27.

Gal. 3. de locis aff. 2.

VIII. Valleſius quoque melancholicum ſanguinem non ineptè vitioſo lacti comparat, quod quemadmodum ipſum mediocris ſucci expers in caſeum & ſerum ferè totum reſoluitur: ſic craſſior & fæculenta ſanguinis pars ad inferiora, tenuior verò & ſeroſior ad ſuperiora aſſurgere ſoleat, vnde ſputatio illa copioſa.

In comment. libr. 6. Epid. ſect. 2. tex. 33.

IX. Hippocrates igitur in duobus prædictis locis, ſerum pro melancholia & melancholiam pro ſero, vt cauſam pro effectu, & effectum pro cauſa vſurpauit.

X. Melancholicus ſuccus in ſanguinem cõmutari nequit, cùm ob temperamenti contrarietatem, tùm quia

tæx

fæx in humorem, cuius illa fæx eſt, nulla arte conuerti poteſt.

XI. In pituitam quoq; non commutabitur, quod caloris actione non humidiorem, ſed aridiorem magis ac magis fieri ipſum ſit neceſſe.

XII. Neq; in bilem, aut pallidam, aut flauam abire poteſt, cum niger color vltra pallidum aut flauum ſit, neque actione caloris citra reuerti queat.

XIII. Errant igitur practici nonnulli, qui febrem quartanam, in tertianam commutare ſtudent, vt tertianam faciliùs curent.

XIV. Melancholici huius ſucci in iecore geniti, vna pars, per venas fertur ſanguini commixta, ad membra terreſtria & dura, qualia oſſa ſunt, nutrienda.

XV. Hæc ſanguinem quoq;, vt recte docet Ariſtoteles, fibroſum & craſſum reddit, quem prorſus tenuem & fibris carentem eſſe non oportuit. 2. de part. animal. 4.

XVI. Altera pars, à liene, ob ſubſtantiæ ſimilitudinem, trahitur, cùm ad eius nutritionem, tùm ad ſanguinis in toto venoſo genere depurationem, vt rectè docet Gal. 4. de vſu part. 15.

XVII. Quemadmodum enim lupini in agrum miſſi, eius amarorem allicientes efficiunt, vt triticum lætius ac dulcius enaſcatur, ita lien, expurgato fæculentis ſordibus hepate, puriorem illuſtrioremq; ſanguinem reddit.

XVIII. Neq; enim fruſtrà lien, vt Eraſiſtratus exiſtimauit, extructus eſt, neq; ex euentu duntaxat, vt Ariſtoteles opinabatur, neceſſarius, cum nihil in corporis ſtructura fortuitum ſit, nihilque ſapientiæ ſummæ maieſtatem non referat. 3. de part. animal. 7.

XIX. Non probamus etiam Alexandri Aphrodiſæi Sect. 2. prob.

B &

lib. 1. de cauſ. & fig. chron. & Aretæi ſententiam, qui lienem ſanguificationis organum eſſe aſſerunt, idq; νόθον ἧπαρ καὶ ὥσπερ ἀντίζυγον hepati appellant; ſuperuacaneum enim fuiſſet, ſi natura plura ſanguinis conficiendi inſtrumenta condidiſſet, cum vnicum ſufficere poſſet.

In libello de liene. XX. Nec placet Vlmi Pictauienſis, medici noua opinio, vitalem ſpiritum in liene præparari, de qua (cum ea, ab Andrea Laurentio validis rationibus conuellatur) non eſt, cur nos hoc loco pluribus diſputemus.

XXI. Quæ verò poſt illam elaborationem ſuperſunt reliquiæ ſanguinis non ſatis attenuati, ob idque in lienis alimentum non cedentes, eas partim ad ventriculum, per ramum ſeu canalem venoſum natura eructat, partim per venas hæmorrhoidales in ſedem relegat.

XXII. Neq; ob id perpetuò nigræ deiectiones, ac vomitus acidi nobis contingunt, cum perexigua fæculenti illius ſanguinis portio, internarum partium calore, per halitum digeri poſſit, vti oſſium & cartilaginum excrementa ſolent, quòd ſi verò copia eius nimia fuerit, tum per anum, per hæmorrhoides, nec non interdum per vrinas vacuabitur, vt in valde melancholicis ſubinde conſpicitur.

XXIII. Dum lienem ſucco melancholico nutriri aſſerimus, à Gal. nequaquam diſcrepamus, lib. 4. de vſu part. docente, hepatis alimentum eſſe ſanguinem rubicundum & craſſum, ſplenis autem ſubtilem & nigrum, lien enim ſubſtantia laxa & rara, ſpongiæ inſtar, præditus, craſſos humores ex iecore facilè, tùm allicit, tùm in ſe ſuſcipit, verùm complurium arteriarum, quas obtinet, beneficio, eos attenuat, nutritioniq; idoneos reddit.

Lib. 2. Epid. ſect. 2. XXIV. Lienem per vrinas expurgari, ex Hipp. colligitur, in morbo Biontis. quotidiana quoq; id teſtatur experientia.

rientia, quamuis Galenus 13. methodi ſcribat, nullam huic viſceri expurgando patere per renes viam, cum interim ipſe in curatione quartanę, diureticis vti iubeat, quæ febris, cum affectione lienis plerumq; eſt coniuncta.

X X V. Via autem ſeu ductus à ſplene ad renes naturæ notior eſt, quam medicis. Andreas Laurentius exiſtimauit non per venas, ſed per arterias expurgari humorem in liene contentum, via ſcilicet breuiore & patentiore, à liene ad emulgentem arteriam. Empyicorum quoque, pleuriticorum & peripneumonicorum pus, per arterias vacuari, non per venas: in arterijs verò plus ſeri, quàm in venis contineri, oculari demonſtratione conſtat: putat etiam emulgentes arterias, ideo inſignes conſtructas eſſe, non tàm, vt ſpiritum vitalem deferrent (ſufficerent enim exiguæ) quàm vt ſerum, in cęteris arterijs collectum expurgarent in renes. Quæ ſententia in re tàm dubia, nequaquam aſpernanda videtur, donec certior aliqua fuerit inuenta. Lib. 6. ſuæ anatomiæ ca. 21. quæſt. 27.

XXVI. Valleſius ſcribit, aliquibus hominibus, à vena caua, meatum quendam ferri in meſenterium, vnde lien facilè per renes purgari poſſit, recurrentibus ſuccis à meſenterio, per cauam in vrinæ vias, verùm hoc raro & paucis admodùm contingit. In com. lib. 2. Epid. ſect. 2.

XXVII. Ater & craſſus ſuccus, qui à liene attenuari non potuit, ac proinde ipſi nutriendo ineptus, vſum ſanè haud ſpernendum præſtat, delatus enim ad ventriculi fundum, acerba atq; acida ſua qualitate, eundem conſtringendo, ciborumq; complexum adiuuando, coctioni non mediocriter commodat.

XXVIII. Huic vſui Auicenna alium adijcit, ſcribẽs, attrum illum ſuccum, ſua acetoſitate ſeu acredine, orificio ventriculi vellicationem inferre, ipſumq; ad famem excitare, ap- Fen. 1. 4. c. 1.

re, appetentiamq; mouere; quam ſententiam, ſi rectè intelligatur, laude potius quàm reprehenſione dignam cenſemus, quidquid Petrus de Peramato aduerſus eam longo ſermone diſſerat.

Libr. de humorib. c. 29.

XXIX. De cauſa melancholicum ſuccum generante, an ea ſit calor temperatus, vel immodicus, vel imminutus, multùm otioſi homines altercantur, nos de controuerſia hac, cum Petro de Peramato ita ſentimus, nimirum, non vnum & eundem ſucci huius eſſe gradum, ac proinde neq; vnam, & eandem, cauſæ eum gignentis, ſtatuendam eſſe menſuram: qui enim planè naturalis atq; exactè coctus eſt, is à calore naturali temperato procreatur, alter verò non ſatis coctus, ac vix alteratus, terrea nimirum alimenti portio, ab imminuto fit calore, qui denique plus ſatis coctus, ita vt aduri cœperit, bili ſcilicet atræ proximus, hunc ab immoderato calore fieri eſt neceſſe.

Lib. de hum. cap. 28.

XXX. Naturaliſſimus & abſolutè coctus in venas cum ſanguine tranſumitur, alter verò citerior, hoc eſt, qui ab imminuto calore procreatur, ſicuti & vlterior, qui aduſtionis principium aliquod attigit, in lienem fertur, vterque verò ſuccus melancholicus, ſiue naturalis & probè coctus, ſiue citerior, ſi diutius in corpore detineatur, tranſit in vlteriorem, ac tandem in atram bilem exquiſitam, à qua exitioſos morbos progigni oportet. Hactenus de humore melancholico naturali,

XXXI. Non naturalis melancholia, quam atram bilem appellari diximus, Galeno, modò duplex eſt, à naturalis ſcilicet melancholiæ & bilis flauæ aduſtione facta; modò triplex, addita ſcilicet ea, quæ à ſanguine aduſto generatur.

XXXII. Nec propterea inconſtantiæ arguendus, ac

ſecum pugnare cenſend⁹ eſt, cum in idem ferè ſiue duplex, ſiue triplex ſtatuatur, incidat, quod ſanguis, dum aduritur, primùm in melancholicum ſuccum, deinde procedente aduſtione, in atram bilem tranſire ſoleat.

XXXIII. Auicenna quartam ſpeciem atræ bilis à pituita genitam, adiecit, cuius ſententiam, quamuis à compluribus grauiſſimis viris oppugnatam, nos tanquam rei naturæ, atque adeò experientiæ ipſi conſentaneam defendere conabimur.

XXXIV. Diſtinguitur porrò, ſuccus melancholicus ab atra bile, primùm acore, qui huic ineſt, inſignis valde, melancholico verò ſucco minimè, ſeu non manifeſtè, teſte Galeno 4. aph. 20. alijſq; in locis. Cum verò contra lib. 5. de vſu part. & 3. de rat. vict. acut. ipſum acidum eſſe & auſterum docet, ac ſibimet contradicere videtur, dicendum eſt, humorem melancholicum, cum terreus ſit ac frigidus, ſaporem quidem acidum & auſterum obtinere, ſed à ſanguinis, cui permixtus eſt, dulcedine, quodammodo obtundi ac dulceſcere, ita vt acor, qui in eo eſt, ſenſu depræhendi vix poſſit: dum autem torretur, ac in atram bilem vertitur, ſanguinis dulcedine amiſſa, mordacitatem, qualis in aceto eſt, acquirere.

XXXV. Ineſt præterea atræ bili odor quidam ingratus, acori proportione reſpondens, qualem & acetum, acre præſertim, ſpirare ſolet, vti ex Galeno colligitur. Lib. de atra bile.

XXXVI. Acorem iſtum inſignem, quem Galenus ſine diſtinctione atræ bili attribuit, ſoli illi, quæ ex ſucco melancholico fit, ineſſe minimè dubitandum eſt, quæ enim ex flaua bile aduſta procreatur, aciditatem nunquam induere poterit, cum amara ac dulcia aceſcere nequeant.

XXXVII. Altera nota, qua humor melancholicus

ab atra bile internoſcitur, eſt ſplendor, quem nigredo hu-
4. lib. aphor. com. 23. ius exhibet, quique in melancholico ſucco non apparet, vt Galenus teſtatur.

XXXVIII. Tertiò atra bilis terram radit, & fermentat, ac muſcas fugat, melancholicus ſuccus non item: cum enim atra bilis, eſſentię tenuis, caloris particeps, atq; acerrimo aceto ſimilis ſit, in terrã effuſa, vaporoſo ſuo ſpiritu, aliquas terræ partes in tumorem attollit, & bullas excitat, quales feruentibus iuſculis ſupernatare videmus.

XXXIX. Quod Ariſtoteles lib. 30. problem. ſcribit, omnes excellenti ingenio præditos, quiq;, vel in ſtudijs philoſophiæ, vel in repub. adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in alijs artibus exercendis, claruerunt, melancholicos fuiſſe, id non de omni melancholia intelligendum cenſemus, ſed de temperata, & quæ vel ex bilis, vel ſanguinis vſtione mediocri ſit facta; qui enim ab ortu ſunt melancholici, ac proinde ob frigiditatem ſtolidi & ſegnes, hi excrementis pituitoſis abundant, niſi bilem quoq;
Lib. 2. de temperam. ſanguini, vt rectè Galenus monet, admiſtam habuerint; à bile enim velocitas diſcurſus, à melancholia verò firmitas
Lib. de uat. human. iudicij efficitur, vt idem Galenus docuit.

XL. Naturalis igitur ſuccus melancholicus, vel aduſtione, vel bilis ſimul creſcentis admixtione illuſtrari atque acui debet, ad pariendam ſapientiam, alioquin hebetes ac tardos homines redditura, ſicuti immodicè vſta, audaces ac furentes.

XLI. Atræ bilis varij in homine effectus, pulchrè exemplo vini ab Ariſtotele allato declarantur, quod parciori vſu lætitiam, liberaliori audaciam, immodico inſaniam adfert, &c.

DE

DE MELĀCHOLICO AFFECTV.

XLII. Melancholia ab efficiente cauſa ſic dicta, non à vomitu humoris, vt perperàm ſentit Cælius Aurelianus, delirium ſeu deſipientia eſt mitis, non ferox, vt mania; nec abſoluta cum ratiocinationis amiſſione, qualis eſt ἄνοια & μώρωσις, neq; cum febre, vt phrenitis.

XLIII. Comitantur hanc metus ac mæſtitia perſeuerantes, Hippocrate & Galeno authoribus. 6. aph. 23. lib. 3. de loc. aff. cap. 7.

XLIV. Definitur ab Aretæo, quod ſit ἀθυμία, ſeu angor animi, in vna phantaſia defixus, ſine febre. Lib. 3. cap. 5. Paulus Ægineta definiens eam, delirium eſſe ait, ſine febre, factum ab humore melancholico in cerebro exiſtente. Lib. 3. cap. 14.

XLV. Rectiùs verò ac pleniùs ita definietur: Melancholia eſt functio princeps deprauata, cum timore perſeuerante, propter materiam opacam ſpiritus animales vitiantem.

XLVI. Particula hæc (functio princeps deprauata cum timore) formam affectionis exprimit. Subiectum cerebrũ eſſe ex eo intelligitur, quòd ſpiritus animales, quos in cerebro fieri liquet, vitiari dicantur, functioneſq; principes in cerebro obiri, apud medicos in confeſſo ſit. Efficientem declarant verba (propter materiam opacam, ſpiritus animales vitiantem) Nec neceſſum eſt addere; febrem abeſſe, vt à phrenitide diſtinguatur, cum illa, non cum timore, ſed furore & audacia ſit coniuncta, qua nota ab hoc affectu ſatis ſuperque ſecernitur. Omittitur etiam mæroris mentio, quòd cum timor perpetuò ſocium habeat. Denique cum cauſa interna, à qua humor hic fiat, exponatur, iure melancholiam abſq; externa progigni, non adijcitur. Gal. lib. 1. Epid. comm. 2. t. 75.

XLVII. Quemadmodum autem in melancholia cerebrum malè affici nemo facilè negauerit, ita non ęquè manifeſtum videtur, num illud, vt pars ſimilaris, an verò, vt organica lædatur.

Lib. 6. Epid. ſect. vl. t. 49. XLVIII. Docet Hippocrates, morbo comitiali laborantes fieri melancholicos, & è conuerſo melancholicos euadere epilepticos, vtq; Galenus teſtatur, melancholicus humor cum corpus cerebri occupat, epilepſiam, cum verò in mentem irruit, hoc eſt, cum cerebri temperaturam immutat, melancholiam efficit.
3. de loc. af. 7.

XLIX. Statuimus igitur in melancholia, cerebrum intemperie frigida & ſicca laborare, at non ſine vitio ſpirituum animalium.

L. Obijci hoc loco poteſt, melancholiam non tàm in cerebro, quàm in corde progigni, primùm, quòd Hipp. ſcribat, retentis menſibus melancholiam in cor reſtagnare, atq; ibi ſtuporem quendam inducere, vnde melancholia, terrores & inſania ſuboriuntur: deinde, quod Gal. in arte parua, ſignis frigidi cordis, timorem adnumeret.
Lib. de mor. Virg.

LI. Facilis eſt ad hæc reſponſio. Non diffitemur à corde, tanquam ſede facultatis iraſcibilis, timorem & triſtitiā emanare, verùm paſſiones illas naturales, ac nequaquam morboſas eſſe, has verò quæ melancholiam conſequuntur, ab imaginatione deprauata, quæ in cerebro fit, prodire aſſeueramus.

Lib. 2. rheto. LII. Quod verò metus ſit ad imaginationem referendus, ipſe Ariſtoteles fatetur, dum timorem definiens, eum ait eſſe perturbationem animi, ex imaginatione mali corruptiui ortam.

LIII. Hæc perturbatio animi, ſi mediocris ſit, ſapientes reddit, docente philoſopho in rhetoricis, timorē conſultationi,

ſultationi, conſultationem ſapientiæ cauſam præbere, vnde in ſacris habetur: Initium ſapientiæ, timor Domini: ſin mediocritatis fines exceſſerit, è ſuo ſtatu mentem deijciens, conſultationi locum non concedit.

LIV. Qua verò ratione, ſpiritus animales, à melancholico ſucco, opaci ſeu tenebricoſi fieri poſſint, ita vt timor in nobis exoriatur, in magna poſitum eſt controuerſia.

LV. Leguntur apud Galenum hæc verba: quemadmodum externæ tenebræ, omnibus ferè hominibus, pauorem inducunt, niſi vel audaces, vel docti fuerint, ſic atræ bilis color, mentis ſedem tenebris ſimilem reddens, timorem efficit. 3. de loc. aff. 7.

LVI. Doctrinam iſtam Auerroës irridet, multis eam 3. collect. 40. rationibus impugnans, in quibus præcipuæ ſunt: prima, cum color ſit obiectum viſus, non poteſt agere in potentiam naturalem, itaq; nigredo humoris melancholici, imaginationem peruertere, & conſequenter timorem facere nequit. altera ratio, nullus morbus fit, nullaq; operatio læditur à colore, ergo neq; imaginatio. 3. nigredo & obſcuritas eſt pura priuatio, nimirum ipſius lucis. 4. ſicut lætitiam parit ſanguis temperamenti ſui ratione, non quia rubedine ſua illuminat cerebrum, ita ſuccus melancholicus naturæ ſuæ proprietate, non quia tenebricoſus eſt, metum inducit. 5. ſi nigredine ſua humor melancholicus timorem efficeret, ſemper vbi is in cerebro reperiretur, id fieret, timerentq; pariter & maniaci, qui tantum abeſt, vt metuant, vt prorſus nihil non audeant. Addunt recentiores, quod ſi melancholicus ſuccus, nigredinis cauſa, terreret, pituitoſus, albedinis gratia, alacres & animoſos redderet, quem tamen ad morum conformationem nihil conferre, affirmat Gal.

LVII. His argumentis victi viri aliqui grauiſſimi, ac de ſententia Galeni deducti, Auerrois opinioni ſubſcripſerunt: nos à Galeno non recedentes, cum Valleſio aſſerimus, melancholiæ accidentia fieri per quandam humoris qualitatem, quæ alia eſſe non poteſt, quàm color. Verùm colorem, mala hæc facere non poſſe per ſenſum, non enim videtur, ſed obſcurando ſpirituum ſplendorem, qui lumine egent, idq; à natura poſſident. Vitiatis igitur ſpiritibus, qui ſunt proprium animæ inſtrumentum, mens deprauatè mouetur, quod Galenum ipſum innuere perſpiciet, quicunque eum paulò attentius legerit, non enim dicit atram bilem ſuo colore terrere, ſed mentis ſedem tenebris ſimilem reddendo, timorem efficere.

Fen. 1. 3. cap. de melanch. LVIII. Huic ſententiæ Auicenna quoque adſtipulatur, dum melancholiam fieri ſcribit, permutato ſpiritu ſplendido ad tenebras. In temperies igitur ſuccum reddit nigrum, nigrities obſcurat ſpiritum, tanquam interna quadam nocte, obſcuratio ſpiritus, metum & mæſtitiam inducit.

Lib. 6. Epid. ſect. 2. t. 32. LIX. Non negamus interim, timiditatis cauſam remotam & immediatam ab Hippocrate traditam, his verbis: de ichoroſo ſanguine, ita eſt exiſtimandum, quòd pauidos & peruigiles faciat, hos ob ſiccitatem, illos, ob ſucci qualitatem, dum ſcilicet ichoris acris & mordacis copia, ſanguinem ac calorem natiuum cordis vitiat, eiuſdemq; iraſcibilem facultatem debilitat, qua debilitata, timorem effici probabile eſt.

LX. Nec neceſſarium videtur, melancholicos timore & mæſtitia perpetuò & continuò affligi, quòd eos lætitia interdum affici, in riſumq; ſolui experientia doceat, vti in Lib. 5. Epid. Parmeniſco melancholico apud Hipp. videre licet: quemadmodum

admodum enim ſterquilinium, fætorem non aſſiduè expirat, ſed tunc præcipuè, cum commouetur agitaturq;,ita & morborum cauſas, quibuſdam temporibus irritari contingit, atq; eo pacto melancholici, nigris vaporibus,mentem occupantibus, mærent, interdum verò copioſa effumatione ceſſante, & ſucci nigri motu ſedato,triſtitia liberantur.

LXI. Libet hîc obiter locos aliquot Hipp. ab inſtituto noſtro nõ alienos adnotare: ſcribitur 2.Epid.ſect.5.morbos habent balbus, aut caluus,aut gracili voce, aut hirſutus, vehemẽter atrabiliarios.Item 7.aph.40.ſi lingua ſubitò impotens fiat, aut pars aliqua corporis ſiderata ſeu reſoluta, tale melancholicum. Lib.1. de morbis: ſiderantur manibus & pedibus,& linguæ impotentes redduntur,& ab atra bile leuiter ſiderantur. 2. Epid. 6. Balbi, celeri lingua,melancholici, bilioſi, in conniuenter aſpicientes, iracundi.

LXII. Caluos à ſucco melancholico, hirſutos verò ab atra bile, vtroſq; nempe à ſiccitate tales euadere, nemo dubitat.

LXIII. Vox gracilis ſeu parua,tracheæ anguſtiam,innatiq; caloris inopiam arguit.

LXIV. Balbutiunt homines potiſſimùm ob malam partium oris compoſitionem, à formatricis facultatis vitio exortam.

LXV .Sed cur balbi,melancholicis morbis obnoxij dicantur, non æquè eſt manifeſtum, cum vitium illud linguę, pituitæ potiùs, quàm melancholici humoris ſobolem eſſe conſtet. Cauſam Galenus ignorare ſe fatetur,ad melancholici ſucci proprietatem confugiens.

XVI. Hieronymus Mercurialis & Franciſcus Valleſius, viri in arte medica conſummatiſſimi, cenſent, balbos per ſe à pituita, ex accidenti verò à melancholia, tales red- di, quòd

Lib. 1. de affect. ca. c.10. In cõm. lib. 2.epid.ſect.5.

di, quòd vitiatis coctionibus, melancholici pituitoſis ac ſeroſis humoribus, quibus linguæ muſculi laxari poſſint, colligendis ſint aptiſſimi, vt ſuperius quoq; eſt annotatum.

LXVII. Idem de cauſa reſolutionis diuerſarum partium, in melancholicorum corporibus, aſſerēdum videtur.

LXVIII. Porrò rationi conſentaneum eſt, à ſpiritu vaporoſo ac halitu tetro, quales melancholicis familiares eſſe ſolent, linguam, aliaq; corporis membra impediri ac quaſi leuiter reſolui, non in totum, vt à phlegmate.

Lib.1.cap.16. de cauſa reſolut. LXIX. Alexander Trallianus, cauſam reſolutionis effectricem, magna ex parte, ex craſſo, viſcido, frigido, interdum etiam terreſtri & melancholico humore, conſtitui cenſet, quam opinionem nonnullis haud probatam, nos admitti debere exiſtimamus, quòd melancholicus humor à copioſo ſerò dilutus, eoq; tanquam vehiculo vtēs, neruos imbuere, laxare, refrigerare, eorumq; ſpiritus, quibus hic ſuccus natura ſua inimic⁹ eſt, fugare haud difficulter poſſit.

LXX. Linguæ celeritas, atq; iracundia, quæ in balbis ſubinde apparēt, ab irritante bile inducuntur, hi ex bilioſis facti melancholici, ad furorem ſunt parati, quod ex in conniuente aſpectu conijcere docet Hipp.

10.probl. 30. LXXI. Legitur apud Ariſtotelem, quærentem, cur ἰσχνόφωνοι, hoc eſt, illi qui lingua titubant, & inter loquendum hærent, ſint melancholici: eos id pati, ob celeres cogitationum motus, quos lingua impedita aſſequi nequit, adeoq; animus quaſi præuertit motum linguæ. Verùm rectiùs fortè illos bilioſos dixerimus, quàm melancholicos, cum bilis ad celeritatem diſcurſus faciat, vt ſuperius eſt conſtitutum.

LXXII. Poſtremò animaduertendum ex mente Hipp. non omnes, qui balbutiunt melancholicos eſſe, ſed illos

illos duntaxat, qui corpore non ſunt albo, glabro, ac pigro, hoc eſt, in quibus pituitæ notæ non conſpiciuntur. Præterea qui neq; bilioſi ſint, & iracundi, ſed aut hirſuti, aut calui.

DE CAVSIS MELANCHOLIAE.

LXXIII. Cauſa efficiens interna, à qua proximè melancholia exoritur, eſt materia opaca, humor ſcilicet vel vapor melancholicus, vitians ſpiritus, cum cerebri frigida & ſicca intemperie.

LXXIV. Solam intemperiem frigidam & ſiccam, ſine humoris & vaporis præſentia, melancholiam efficere, vt Auicenna putauit, non admodùm eſt rationi conſentaneum.

LXXV. Humor iſte melancholiæ parens, ſuccus eſt melancholicus, naturalis, fæx ſanguinis dictus: ſicuti maniæ bilis atra.

LXXVI. Continetur is, vel in cerebro, vel in venis totius corporis, vel hypochrondijs, interdum quoq; in vtero, aut vaſis ad eum pertinentibus.

LXXVII. Humori melancholico accumulando, inter antecedentes cauſas, corporis temperatura frigida & ſicca, ætas conſiſtens & ſenilis maximè accommodatæ videntur, teſte Hipp. Lienis quoq; obſtructio, inflammatio 6. aph. 11. ac ſcyrrhus, melancholiæ expulſionem remorantes; fluxus hæmorrhoidalis conſueti, menſiumque ſuppreſſio, ac varicum ſanatio.

LXXVIII. Ad ſexum quod attinet, cum mulieres natura ſint meticuloſiores viris, magis etiam ſunt ad eundem affectum paratæ.

LXXIX. Externę cauſę, quę in viuendi ratione pręci- 3. de loc. af. 7.

 puæ

puè conſiſtunt, à Galeno diffuſè recenſentur, ſunt autem, cibi melancholicum ſuccum præſtantes, caro caprina, bubula, hircina, atq; adhuc magis leporina: omnes item carnes ſale conditæ & fumo ſiccatæ, piſces cetacei, frequens limaciarum vſus. Inter olera braſſica, inter legumina, lens primas tenet, mox panis furfuraceus, & ex vitiatis ſeminibus paratus: vetus caſeus, vina craſſa, nigra, auſtera, aceti im̃odicus vſus. His addunt poſſunt, cœli conſtitutio ac regio frigida & ſicca, anni tempus autumnale, vigiliæ, mærores & ſolicitudines, ac vitæ ſtudia aſſiduis curis ac cogitationibus profundis plena. Diuturnæ quoque, áttentæ & fixæ imaginationes, quòd humorem melancholicum generare temporis ſucceſſu poſſint, non minimam ad malum procreandum, vim habent.

LXXX. Quòd febres ardentes, & temperaturæ calidæ ac ſiccæ, inter internas melancholiæ cauſas, à Galeno numerentur, id de atra bile potiùs, quàm naturali melancholico ſucco intelligitur, nec diffitemur, ipſum ſubinde humores hoſce duos confundere.

LXXXI. A Cacodæmone, homines melancholicos, Deo permittente, reddi poſſe, humorem mali cauſam ſubminiſtrante, Chriſtianæ fidei non repugnat, ac proinde negari non debet.

DE DIFFERENTIIS MELANCHOLIAE.

LXXXII. Differentiæ ſumuntur à cauſa efficiente, vnde quædam melancholia ab humore, alia à vapore progignitur.

LXXXIII. A loco affecto, quem cerebrum eſſe, ex medicorum ſententia ſupra diximus, quod nunc per eſſentiam

tiam, nunc per conſenſum, vel totius generis venoſi, vel hypochondriorum, ſeu partium nutritioni famulantium, ac vteri afficitur, vnde & ſimiles huius affectus differentiæ emergunt. Continetur materia morbifica modò in venis & arterijs, modò in ipſo corpore cerebri: hinc quoq; duæ exoriuntur differentiæ, vna mitior, cum materia ſeu humor, vaſa: altera grauior, cum ſubſtantiam cerebri occupat.

LXXXIV. Qui per ſe in capite conſiſtit, duplex dici poteſt, primarius, nempe progenitus in cerebro: ac ſecundarius, humore vel vapore aliunde in id delato.

LXXXV. Qui per conſenſum totius corporis eſt factus, nomine caret: tertius melancholia hypochondriaca nominatur.

LXXXVI. In controuerſia eſt, an rectrices potentiæ diuerſis ſedibus cerebri ſint diſtinctæ, vt Arabum ſchola contendit, phantaſiam anteriori, rationem medię, ac memoriam poſteriori parti adſcribens: an verò nulla locorum habita diſtinctione, in toto cerebro obeantur, vt Galeno placuit: nos Galeni ſententiam probantes, principes omnes facultates in vniuerſo cerebro cõtineri aſſerimus, non negantes interim, in vna magis, quàm in alia cauitate, hanc vel illam magis vigere, pro ſpirituum ſcilicet tenuitate, perfectione, maioriq; vel minori elaboratione, ac pro temperamenti varietate; hinc memoria, ſiccitate indigens, poſteriori parti, quæ natura ſiccior eſt: imaginatio, ad ſpecierum receptionem humiditatem poſtulans, anteriori, tanquam humidiori: ratiocinatio medio modo ſe habens, medio quoq; loco præcipuè attribuitur. Lib. 8. de vſu part.

LXXXVII. Exemplum huius rei ſit ventriculus, in quo tota concoctio alimentorum celebratur, diuerſas tamen functiones obtinet, trahendi nempe, retinendi, alte-

randi & expellendi, quarum vna læſa, non protinùs reliquas omnes lædi eſt neceſſe, cum retentio & tractio, quæ ſiccitate quadam fiunt, ab humiditate: alteratrix & expultrix à ſiccitate magis offendantur.

LXXXVIII. In hypochondriaca ſeu flatuoſa, à flatuoſorum ſpirituum copia ſic vocata melancholia, quæ loca potiſſimùm afficiantur, non eſt eadem medicorum omnium ſententia: dum alij ſplenem vt Auerroës: alij ventriculum, ac præcipuè pylorum, vt Diocles: recentiores, meſenterij venas incuſant. Nos non vnam, vel duas, ſed omnes ventris inferioris partes, in quibus niger humor, ſeu melancholicus ſuccus aggregari, efferueſcere, ac velut fermentari, vt Hipp. loquitur, vaporeſq; melancholicos, ſpiritibus aduerſos, in cerebrum ſubmittere queat, affectionis iſtius locum ac ſedem eſſe ſtatuimus.

LXXXIX. Non minor eſt de hypochondriaca melancholia, qualis nimirum ea ſit affectio, opinionum varietas: Diocles eam eſſe inflammationem venarum, quæ ex ventriculo alimentum recipiunt, ſtatuit. Auicenna vehementem iecoris & inteſtinorum caliditatem: nonnulli obſtructionem venarum meſaraiacrum.

XC. In flammationis coniectura habetur ab æſtu hypochondriorum, ac copioſa in cerebrum euaporatione, à ſanguinis in loco affecto aduſtione, & à refrigerantium vſu, malum leuante. Ex aduerſo, eam abeſſe arguunt, febris, ſæpè etiam ſitis abſentia, mali diuturnitas, quæ cum inflammatione perdurare tàm diu minimè poſſet: ad ſunt præterea frigiditatis ſigna haud obſcura, flatus ſcilicet copioſi, ructus acidi, ſputationes aſſiduæ, præſertim à cibo, fluctuationes, coctionis tarditas, ventriculi dolores, vomitus crudorum alimentorum, quibus atteſtatur ſanatio, quæ calefacientibus perfici præcipuè videtur. XCI.

XCI. Ex his colligi poteſt, hoc genus affectus in duplici eſſe differentia: eſt enim vnum, quod ex fæce ſanguinis, alterum quod ex atra bile in hypochondrijs cumulata, enaſcitur. In hoc ſymptomata ſunt grauiora, præcordia æſtuant, cor palpitat, facies rubet, ſitis infeſtat: in illo mitiora omnia.

XCII. Nomine inflammationis, nequaquam intelligendus eſt tumor aliquis inflammatorius, ſeu inflammatio propriè dicta, ſed intẽperies calidior, à qua, vel atra bilis, vel ſuccus melancholicus in parte contentus, qui neq; à liene attractus, abſumptuſq;, neq; per hæmorrhoides ad inteſtina vacuatus ſit, aduratur, iſtius verò diſcraſiæ calidioris cauſam eſſe præcipuam exiſtimamus, venarum meſaraicarum obſtructionem, per quam ſanguis, dum exugi à venis & per corp⁹ vniuerſum tranſmitti nequit, efferueſcens exuratur. Vnde euaporationes in caput eleuatæ, animales ſpiritus vitiant, ſubinde etiam cor petentes, palpitationem ac ſuffocationem eius excitant, nec mirum videri debet, ventriculi coctionem, quæ calorem temperatum ac naturalem requirit, à præternaturali iſto tantoperè lædi, concoctione verò læſa cruditates colligi, quę in os aſſurgẽtes, πτυάλισμον; in hypochondrijs detentæ, ὑδάτισμον, vel βορβόρυγμον; in flatus conuerſæ, ructus; & in diaphragma demum irruentes, compreſſionem, ſpirandiq; difficultatem inducant.

XCIII. Flatuum abundantia in hoc affectu, cui ab illis nomen eſt, excitatur ab efficiente cauſa, quæ eſt calor in hypochondrijs, deinde à materiali, quæ eſt ſuccus melancholicus, interdum etiam pituitoſus, hanc materiam calor, dum in ipſam agit, ſibiq; aſſimilare nequit, in aërem ſeu craſſum vaporem ac flatum conuertit.

XCIV. Refert Renatus Braſſauolus medicus Ferra-

rienſis in conſilio quodam manu ſcripto, ſe à fide dignis audiuiſſe, venam, quæ velut pendet in fundo ventriculi conſpectam eſſe, ad parui inteſtini magnitudinem, in laborantibus hoc affectu, plenam ſanguine craſſo & nigro, vt pix liquida, qui ſupercalefactus ſitim & alia ſymptomata augere poſſit. Ægri verò illi proculdubiò à frigidorum aſſumptione illicò ad tempus ſaltem iuuabantur.

XCV. Obſeruauit quoq; Gabriel Cuneus, in hoc affectu, vitioſam materiam interdum ſibi ſinum quendam paulatim, inter membranas locorum ventriculo adiacentium, moliri. Vnde curationem eius plerumq; difficultatis plenam eſſe, mirum videri non debet.

XCVI. Differentiæ melancholiæ ab actionibus læſis, non paucæ proueniunt: læditur in ea primùm phantaſia, deinde ingraueſcente malo, aucta ſcilicet materiæ copia ac malitia, diſcurſus quoq; noxam patitur. Hinc duæ enaſcuntur melancholiæ differentiæ, in quarum vna imaginatio ſola, in altera diſcurſus quoq; eſt oblæſus.

XCVII. Quærat quis, cur in melancholia imaginatio primùm ac præcipuè offendatur? Reſpondemus cum phantaſia ſit quædam quaſi ianua, per quam obiectis intelligibilibus, ac memorabilibus aditus ad rationē & memoriam pateat, iccircò rationem lædi, imaginatione illæſa, non poſſe, præterea ſi verum eſt, in anteriori cerebri parte imaginationem potiſſimùm vigere, mirum non eſt, eam, ob natiuam humiditatem, recipiendæ melancholici humoris malignitati, reliquis partibus eſſe opportuniorem.

XCVIII. Plurima ſunt & innumerabilia melancholicorum deliria: alij enim timent, ne cœlum corruat, fatigato Atlante: alij ſe gallos eſſe, alij columbos, quod de Marſilio Ficino dicitur, alij granum milij, vnde gallinas fugiunt, ne

unt, ne ab illis deuorentur, alij ſe in aues & feras conuerſos, aſſiduè metuentes, ne à venatoribus aucupibuſque capiantur: alij ſe mortuos affirmant; alij ſe varijs morbis detentos querũtur. Varietatis huius rationem reddere probabilem, impoſſibile cenſemus.

XCIX. Communiter tamen, vitæ ſtudia ac conditio, ſingularia quædam deliramenta cauſare videntur; qui enim in principum aulis diu verſati ſunt, ſe papas, reges, cardinales eſſe imaginantur: viri eccleſiaſtici Chriſti perſonam, ac ſanctorum ſibi vſurpant.

C. Non deſunt, qui imaginationum aliquarum cauſas reddere conantur, illas humoris, vel vaporis qualitati adſcribentes, nimirum, quòd quis ſe figulinum vas eſſe arbitraretur, id ſiccitati per corpus ſparſæ; quòd alius ſe tympapanum corio tectum putaret, cutis ariditati; quòd alius ſe caput habere negaret, vaporibus cerebrum replentibus, attribuendum cenſentes; multi & ſe ranas in corpore geſtare exiſtimabant, fortè rugitibus, ranarum coaxationi non abſimilibus, decepti: alij ſe ſerpentes deuoraſſe, à craſſis flatibus, ventrem perreptantibus, doloremq; ac morſum excitantibus, deluſi, crediderunt. Aëtius lib. 6. cap. 6.

DE SIGNIS.

CI. Signa diagnoſtica à cauſis deſumpta, præcipua ſunt, temperamentum melancholicum, ætas conſiſtens & ſenilis, lienis obſtructio, inflammatio, vel ſcyrrhus, ſuppreſſæ hæmorrhoides, & varices, vel ſponte, vel arte curati. Vſus antecedens alimentorum, ſicut & reliquarum rerum non naturalium, quas aſſertione 80. commemorauimus.

CIII. An verò humor peccet, vel vapor, dignoſcetur ex affectus paruitate, vel magnitudine, cum paruus ac bre-

uis vaporem, maior verò ac diuturnior, humorem arguat. Et hypochondriacæ quoq; affectionis ſymptomata, vapori magis, quàm humori cerebrum infeſtanti atteſtabuntur, ſicuti & ſuppreſſa menſium euacuatio, aliaq; vitia vterina.

CIV. Porrò an per eſſentiam, vel conſenſum oriatur, ex his indicijs apparebit, aſſidua namq; cum metu & mærore, ſine vlla alterius partis labe imaginationis deprauatio, per eſſentiam: intermittēs verò, cum, ſcilicet, ægri ex interuallis munera conſueta rectè obeunt, per conſenſum eſſe factum, oſtendit.

CV. A iuuantibus, ſi nigri ſucci per hæmorrhoidas ſpontè, vel arte reſeratas, vel per alias vias euacuatio ægrum leuet: ex aduerſo verò, ſi ex erroribus, in ratione viuendi commiſſis, quibus ſuccus ille colligi potuit, malum exacerbetur, hæc melancholicum affectum ſubeſſe demonſtrant.

CVI. Ab effectis, eandem præcipuè produnt, mæror & triſtitia diu præter rationem perſeuerantes, abſurdæ imaginationes ſupra enumeratæ, vel aliæ illis ſimiles, præſertim ſi accedant crebra ſuſpiria, reſpiratio tarda & rara, pulſus paruus, tardus, & rarus, color faciei, & totiuscorporis liuidus ac plumbeus.

CVII. Symptomata hæc, ſi grauiora ac ſæuiora fuerint, ita vt ægri, magna cum audacia, diſtricto gladio, amicos & ignotos, nullo diſcrimine inuadant, neque coërceri, niſi vinculis & compedibus poſſint, hæc atram bilem, furorem, ſeu maniam ferinam oſtendunt: ſi verò cum riſu coniuncta ſint, ſanguinem: ſi cum iracundia, bilem: ſi cum obliuione & ſegnitia, pituitam humori melancholico admixtam declarant.

CVIII. Vtrum verò conſenſus ad vniuerſum corpus ſpectet, vel non, ex Galeno diſcere licebit, hæc verba ſcribente:

bente: Quum ſperaueris, in vniuerſi corporis venis, melancholicum ſanguinem contineri, quò certiorem habeas notitiam, cubiti venam ſeca, præcipueq; mediam, quoniam communis eſt,& ei quæ humeralis nominatur,& ei,quæ per axillam ad manum fertur, quòd ſi tum fluens ſanguis, non videatur melancholicus, ſtatim ſupprimatur, ſi verò talis appareat, ſtatim vacua, quantum pro laborantis corporis habita ratione ſatis eſſe coniecceris. His adijcienda corporis temperatura melancholica, habitus gracilis,color plumbeus & liuidus. Vſus alimentorum, quorum ſuperius meminimus.

CIX. Si non in vniuerſo corpore, ſed in parte aliqua determinata, ſuccum nigrum coaceruari contingat, hypochondriacæ, ſeu flatuoſæ melancholiæ indicia aderunt, cuiuſmodi ſunt, flatus plurimi, ructus acidi, fluctuationes, rugitus, alui adſtrictio, ventriculi dolores, multa ſaliuæ ſputatio, vomitus pituitæ, modò bili permiſtus, modò acidus, ex quo etiam dentes ſtupent, præcordia ſurſum reuelluntur, & interdum præter grauitatem calore feruent, ſub his arteriæ vehementius pulſare percipiuntur. Contingunt capitis vertigines, dolor medio loco ſcapularum, tempore coctionis præcipuè. Cor ſubinde palpitat, & quaſi ſuffocatur: cruditate per errorem in victu commiſſa, malum augeſcit, concoctione leuatur, miteſcit quoq;, ſi hæmorrhoides fluant, ſi varices, atque etiam, vt aliquibus placet, aquæ inter cutem accedant: nonnullis febris adeſt, hecticæ non abſimilis, quæ tandem in marcorem fertur. Rarò abeſt lienis tumor, vel alius affectus: ſubleuantur ægri, ex vſu eorum, quæ aluum leniunt, ac flatus ſimul diſcutiunt, quemadmodum ex oppoſitis, tàm alimẽtis, quàm medicamentis, ſummoperè offenduntur.

D 3 CX.

C X. Prognoſtica. Melancholiæ affectus eſt natura
2. de morb. ſua longus, non autem lethalis, teſte Hipp. niſi aliquid aliud ei adueniat, cum verò vehemens admodùm eſt, ac diuturnitatem habet, iure optimo ſemper eſt pertimeſcendus, copia enim humoris melancholici aucta, ſanguinis verò valdè diminuta, ſæuiora ſymptomata progignit, ac tandē in maniam, tremorē, neruorum diſtentionem, cęcitatem,
6. aph. 56. epilepſiam & apoplexiam deſinit, vt teſtatur Hipp. ſæpè
6. Epid. etiam qui hac affectione, præcipuè verò hypochondriaca nuncupata, diu detinentur, tabeſcunt, ac febricula lenta conficiuntur, cibum auerſantes, aſſumptum reuomentes.

C X I. Magno igitur ſtudio, inter initia, curatio eius inſtituenda, quæ ſi ritè, ac remedijs idoneis adminiſtretur, haud erit impoſſibilis, ſi modò vires ægri morbo validiores fuerint.

INDICATIONES CVRATIVAE.

CXII. Opera in curatione præſtanda, hæc ſunt: ſi vitium in cerebro per ſe, & per eſſentiam conſiſtat, idq; primario modo malè ſit affectum, toto reliquo corpore incolumi, ac venis, hypochondrijs, vtero omni labe, ac noxa carentibus, tunc cerebri intemperies frigida & ſicca corrigenda, humor vacuandus & vapor diſſipandus.

CXIII. Si malum à toto corpore ſit profectum, toti⁹ euacuatio indicatur, priuſquàm caput, vel vacuetur, vel alteretur, præmiſſa debita humorum præparatione, vbi per aluum ſit purgatio molienda, poſtmodùm humor, quo minus in caput irruat, reuellendus, atq; ante omnia, noua eius accretio prohibenda.

CXIV. Si ab hypochondrijs, vel vtero originem ducat,

cat, partium laborantium affectus exactè primùm cognoſcendi, dein proprijs, atq; idoneis remedijs depellendi, ac tùm demùm ratio capitis, ac cordis quoq; eſt habenda.

CVRATIO.

CXV. Materia auxiliorum ſunt inſtrumenta, quibus ars vtitur. In his primum locum obtinet diæta, ſeu victus ratio, quæ etſi poſteriùs inuenta fuiſſe creditur, dignitate tamen reliqua antecedit, debetque medicus, ſi ſola diæta morbos perſanare poſſit, cætera remedia omittere, hæc verò quantum præſtet hoc loco, Galeni verba teſtatum faciunt, quæ 3. de locis aff. 7. leguntur: Interim, inquit, monendi ſunt amici, qui me curantem viderunt, frequentibus balneis, victuq; humido, boniq; ſucci, nullo alio adhibito præſidio, huiuſmodi me morbum curaſſe, vbi nōdum ob longum temporis tractum, nocuus humor multùm vacuationi reſiſteret.

VICTVS RATIO.

CXVI. Diæta, omnibus melancholiæ differentijs conueniens, talis eſto: aër ad calidum & humidum declinet, non tenebroſus ſit, aut graueolens, vigilia immodica vitanda, ſomno indulgendum, iſq;, ſi neceſſitas poſtulet, arte conciliandus. Moderata exercitatio corporis, per loca amæna, ritè inſtituatur, prima ſcicilet coctione peracta, & aluo exonerata.

CXVII. Cibus & potus ſit copia moderatus, vitetur crapula, ſatietas, cruditas, alimenta ſint euchyma, coctuq; facilia, omittantur omnia, quæ melancholicum ſuccum corpori præſtare ſuperius ex Gal. recenſuimus.

CXXIII. Aëtius & Paulus, acetum acerrimum lau-

dant ſumendum hora ſomni, cochlearij menſura : huic aduerſatur Hypp. acetum humorem melancholicum augere ſcribens, quod, vt ipſe humor, ita & acetum frigidum ſit & ſiccum. Nos arbitramur, acetum ſua natura quidem melancholico humori aduerſari, prodeſſe tamen poſſe, vbi lien obſtructione laboret, quòd huic vi ſua inciſoria expediendo apprimè ſit idoneum. Putat Auerroës, lienem proprietate naturæ, aceto delectari, ob ſaporem acidum, melancholiæ ſimilem, qua nutritur. Itaq; acetum, cibis pro condimento, medicamentis verò pro vehiculo, rectè adijci concedimus.

CXIX. Si venter officium non faciat, quæ in hypochondriaca, vna ex præcipuis eſt querela, glande, clyſteribus, cibis mollientibus, alijſq; auxilijs laxetur.

CXX. De venere, ad quam melancholici, ob flatuum copiam incitantur, ſic ſtatuimus, eam ſcilicet in melancholia propriè dicta, ob frigiditatem & ſiccitatem, non inutilem modò, ſed & incommodam, ac proinde fugiendam eſſe.

CXXI. Ægri à cura & ſollicitudine, ſummo ſtudio, ac dexteritate liberandi, à mœroreq; adhilaritatem reuocandi, adhibitis iucundis, ac gratis colloquijs, concentu muſico, alijſq; ſimilibus.

CHIRVRGIA.

CXXII. In melancholia per eſſentiam, ſolo affecto cerebro, dum recens eſt, leuioribus cedens remedijs, Galenus venam non ſecat, quem & Auenzoar eſt ſecutus. Auicenna venæ ſectionem, in omni melancholia probat, addit Aretæus, etiamſi ægri graciles ſint & ſanguinis inopes, quam ſententiam tutò amplecti ac ſequi medici poterunt,

quo-

quotieſcunq; à virium imbecillitate tàm futurarum, quàm præſentium, ægro metuendum nihil fuerit. Cæterùm ex vſu remedium iſtud tùm potiſſimùm cenſemus, cùm æger multo ſanguine abundat, (præſeruatione ſcilicet indigens) & malum recens non eſt, primùm autem baſilica vocata, deinde cephalica, ac tandem, quæ in fronte eſt, ſecanda.

CXXIII. Vtiles quoque erunt cucurbitulæ cum ſcarificatione ſcapulis adhibitæ, ſicut & cauterium brachio, vel ad nucham, inter primam & ſecundam vertebram, impreſſum.

CXXIV. Cùm malum cerebro à toto corpore communicatur, tunc haud dubiò phlebotomia in brachio requiritur, ſi vires & ætas non diſſuadeant; ſin paulò imbecilliores videantur, vena poplitis, vel ſaluatella dicta, eaq; ſiniſtra, ſi æger ſpleneticus ſit; mulieribus verò, ſi menſes deficiant, ſaphena tundatur. Profuerit quoque hirudines hæmorrhoidibus admouere, tùm reuulſionis, tùm verò etiam euacuationis gratiâ, quod remedium, etſi Meſue omni melancholiæ ſpeciei conueniens exiſtimet, præcipuè tamen hypochondriacæ, cum è venis, quæ in meſenterio, ac citra iecur ſunt, vacuet.

CXXV. Notum eſt illud Hipp. in melancholicis & 6. aph. 11.
nephriticis, hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum, cum enim, vt Gal. in commentario ait, ſanguis ad venas illas copioſiùs ac ſæpiùs irruens, plerumq; fæculentus, & craſſus eſſe ſoleat, humoris melancholici plenus, morbos ab huiuſmodi humore natos iuuat. Idem 6. Epid. 5. com̃. 25. alijſq; in locis docetur.

CXXVI. Cæterùm eos in primis hac euacuatione, ſiue à natura, ſiue ab arte facta, iuuari, quibus hæmorrhoides fluere ſolitæ, ſint ſuppreſſæ, nemo dubitauerit.

CXXVII. In hypochondriaca, contendit Capeuaccius, ſanguinem nunquam è brachij, ſed è crurum venis, vel ex hæmorrhoidibus eſſe mittendum. Rationes, quibus nititur, ſunt: quòd ſanguis iſte vitioſus, infra iecur ſubſiſtat, quòd vapores ſurſum mittat, quòd ad hypochondria pertineat, non ad totum. Nos, vt doctrinam hanc, minimè contemnendam, ita neq; perpetuò ſeruandam putamus, nequaquam dubitantes, ſi ſuccus ille ater, in venis pylori, vel alijs in locis contentus, à liene, vel hepate, eò ſit deriuatus, è brachio, vel dextro, vel ſiniſtro, rectitudine ſcilicet ſeruata, ſanguinem euacuari poſſe.

5. de loco. aff. 7. CXXVIII. Præceptum Gal. de ſanguinis, in melancholicorum phlebotomia fluentis, qualitate conſideranda, traditum, generaliter tàm in venarum brachij, & crurum, quàm hæmorrhoidum apertione, obſeruandum cenſemus; nimirum, ſi is nequaquam melancholicus, ſed tenuis appareat, illicò ſupprimendum eſſe, interim tamen non negligendum, quod Auicenna monet, ſcilicet ſiſtendum non eſſe, donec duæ vnciæ effluxerint, quòd interdum ſubtili craſſior ſuccedat.

CXXIX. Quò verò craſſiori ſanguini exitus pateat, ampliori foramine vena eſt incidenda, eoque nomine Gal. ægrum ante phlebotomiam lauandum: Auicenna verò brachium eius, aquæ calidæ immergendum, docebat.

CXXX. Cauteria in affectu, ab hypochondrijs dependente, neq; capiti neq; brachijs, conuenienter adhiberi, ſtatuimus.

PHARMACIA.

CXXXI. Cùm morbo primario caput laborat, partium ſubiectarum nulla conſentiente, ſi materia in venis

continea-

contineatur, lenita aluo, ſectaq́;,(ſi opus, præcautionis ſaltem ratione, videatur, vireſq; ferant) cephalica & frontis vena, vel hirudinibus poſt aures admotis, conuenienti victus ratione, &balneis curetur. Si cerebri ſubſtantiam occupauerit, ac diuturnior affectus factus ſit, pręter phlebotomiam purgatione quoq; cùm totius corporis (præſeruationis ergò) tùm ipſius capitis indiget. Laudantur in hac melancholiæ ſpecie catapotia præ alijs medicamentorum formulis, cuiuſmodi ſunt maſtichinæ vocatæ pilulæ Cōciliatoris, Aſſairet Auicennæ, initio conuenientes; deinde verò de fumo terræ, quibus, cùm melancholici pituitæ non parùm colligant, cocchiarum, vel agarici aliquid adijcietur. Conueniunt etiam puluis ſennæ præparatæ Montagnanæ, & hiera Pacchij; hæc vel his ſimilia, quoties neceſſitas poſtulabit, iteranda, ſed purgantibus, quæ humores præparant, præmittenda.

CXXXII. Hunc vſum præſtant, aqua mulſa, ſyrupus è boragine, è fumaria, è lupulis, è corticibus citri, è pomis, alijq́; ijſdem viribus prædìti, aquis deſtillatis earundem plantarum, vel ipſarum decocto, diluti.

CXXXIII. Toto euacuato corpore, laudatur particularis per errhina, & apophlegmatiſmos capitis euacuatio, quæ ad pituitam ſaltem è cerebro detrahendam, ſua non caret vtilitate.

CXXXIV. Ad corrigendam cerebri frigidam ac ſiccam intemperiem, commendamus, capitis perfuſiones ex oleo oliuarum maturo, amygdalarum dulcium, lacte caprillo recèns mulcto, decocto maluarum, altheæ, chamæmeli, capitis ac pedum veruecinorum, vitulinorum, aliorumq́; ſimilium.

CXXXV. In morbo per conſenſum, quem ſcilicet

melancholicus ſuccus in toto corpore collectus intulit, atq; etiamnum fouet, ſanguine, quantum ſatis ſit, atque vnde oportuit, miſſo, interpoſitaq; ad virium reparationem quiete, medicamentis aluum ducentibus vti conuenit, concoctione tamen, ac præparatione peccantis ſucci nunquam non præmiſſa, atque ante omnia, prima corporis area, per minoratiuum vocatum, deterſa.

CXXXVI. Ad minorandam (vt loquuntur) materiam, priuſquàm præparantia exhibeantur, idonea erunt caſſia, manna, diacatholicon: in purgantibus ſimplicibus mitioribus, quibus ab initio vtendum, probantur, ſenna, polypodium, Epithymus, myrobalani Indi. Hiera Themiſonis cum epithymo, ſerum lactis quinq; cothylarum menſura. Clyſteres quoque aluum moderatè ſubducentes non negligendi.

CXXXVII. Si morbus his non cedat, conueniet cortex hellebori nigri, vel in ſero lactis infuſi, cum ſuis corrigentibus, addita manna, vel in aqua decocti, adiectis paſſulis & ſaccaro. Item eiuſdem radicis extractum, cuius parandi formulæ apud Andernacum, Euonymum, & alios leguntur. Empiricus quidam Chymiſta, radices cum vino & ſaccaro ad iulapij formam coquebat, ac hora decubitus, cochlear vnum, vel paulò amplius porrigebat, aluus inde ducebatur, ſine moleſtia effatu digna. Inter compoſita validiora, probamus confectionem hamech. Proponunt practici pilulas de lapide Cyaneo, vltimo loco vſurpandas; verùm cum pilulæ omnes calefaciendi & ſiccandi vim habeant, vſus earum in hac melancholiæ ſpecie, non admodùm tutus eſſe creditur.

CXXXVIII. Cum morbus pertinax ſit, ac rebellis, repetenda erunt, tàm præparantia, quàm euacuantia,

ex iuſtis interuallis, habita perpetuò virium ratione.

CXXXIX. Cæterùm, quia virtus aſſiduo medicamentorum vſu langueſcit, idcircò interdum ab illis eſt deſiſtendum, prout legitur in libello de melancholia, qui Galeno adſcribitur, his verbis: Illud quoq; nouiſſe conuenit, pleroſq; hoc morbo infeſtatos, quo tempore curabantur, nihil profeciſſe, ſibi dimiſſos conualuiſſe, propterea, quia rectè prius à medicis tractati, poſtea vires aduerſus morbum maiores acceperint, cum antea remedijs attriti forent: quamobrem naturæ quies condonanda, quam pluribus auxilijs affligi, quiete refici videmus.

CXL. Anni tempora, quibus medicamenta omittere expedit, ſunt, æſtiuum & hyemale: vernum autem & autumnale, ijs ſumendis habentur opportuna. Gal. l. quo & quando purgare oporter.

CXLI. Corpore accuratè vacuato, ex vſu erunt roborantia, in quibus quæ valdè ſiccare, ac nimium calefacere poſſunt, caueantur. Tutiores ſunt flores boraginis, bugloſſæ ſaccaro conditi, nec non flores roriſmarini, cum pari portione ſaccari roſacei, vel violacei, quibus rectè adijcietur aliquid pulueris diamargariton, vel lætificantis Galeni. Præſtantiſſimi ſunt cortices radicum bugloſſæ, in vino albo odorifero ſæpè madefacti, & ſole ſiccati, deinde cum ſaccaro conditi. Vehementer quoq; laudatur vinum, cui ijdem cortices ſint infuſi. Naribus odores grati conuenienter admouebuntur ex floribus boraginis, bugloſſæ, violarum, arantiorum, vino & aqua naſæ dictæ irroratis. Ex aquis prætereà ſtillatitijs ſimilibus, vino albo odorato, vel puluere diambræ cordiali temperato, & croco, epithemata cordi apponuntur.

CXLII. In hypochondriaca vocata melancholia, poſt primæ regionis expurgationem, & ſanguinis detra-

ctionem, præparantia ſuperius dicta, prout etiam leuiora purgantia, præſertim in initio conueniunt.

CXLIII. Validiora, & electiuè (vt vocant) trahentia nonnulli improbant, alij laudant. Rationibus vtriq; nituntur grauiſſimis: illi verentur, ne à valentioribus, ob calorem immodicum, & attractionem à partibus remotis, augeatur affectio: deinde, cùm noxia materia in partibus, ventriculo proximis contineatur, neq; opus, neque tutum videtur, ijs medicamentis vti, quæ è locis procul diſtantibus trahere poſſint. Iſti è contra Hippocratis authoritatem, melancholicos per inferna, ἁδροτέρως, id eſt, vehementiùs purgare iubentis, ſequuntur, & cum purgare conſilium ſit, pharmacum ſuadent μοχλικὸν, quale præſcribi ſolet cũ paſſio diuturna eſt, & quaſi μοχλείας δεόμενον, hoc eſt, veluti vecte indigens, vt Galenus loquitur. Cùm verò melancholicus humor ad motum contumax, vtpote, qui craſſus & fæculentus exiſtit, tale auxilium poſtulat, non quidem per initia morbi, ſed, cum is leuioribus propulſari non poterit.

Lib. 4. aph. 9.

6. Epid. parte 2. comm. 6.

CXLIV. In iſta opinionum diuerſitate, via, qua medicus praxin exercens, tutò incedat, hæc videtur: cum atra bilis hypochondria occupans, ex aliorum ſuccorum aduſtione ortum duxit, aduſtio verò ab intemperie potius calida & ſicca ventriculi, aliarumque partium, quàm ab obſtructione eſt facta, cùm item grauiora ſunt ſymptomata, corpus extenuatum, ventriculi, omneſque corporis vires imbecillæ ſunt, tunc mitiora duntaxat conuenire remedia: ſecus autē vbi ſuccus melancholicus fæculentus hypochōdria obſidet, craſſitie ſua, lienis ac meſenterij venas obſtruens, cùm leuioribus nihil proficitur, ad validiora, cuiuſmodi ſcamoneata ſunt, & helleborus, præparantibus perpetuò præmiſſis, deueniendum.

CXLV.

CXLV. Stimmi, antimonium Mauritanis dictum, accuratè præparatum, ac correctum, nulli, niſi robuſto, ac doſi admodùm parua exhibendum cenſemus, minus autem periculi erit, in vini portiuncula, cui eiuſdem vitrum infuſum ſit, quàm in ipſius ſubſtantiæ, ſeu puluerís aſſumptione.

CXLVI. Mitioribus adnumeratur ſerum lactis caprini, vel vaccini, quod cùm flatuoſum ſit, conferre non poteſt, niſi doſi ſatis magna, ac cũ melle, & ſale correctùm, additis etiam flatus diſcutientibus, interdum quoq; blandioribus purgantibus.

CXLVII. In eodem cenſu habendum eſt ius galli decrepiti, eo quo Meſue docet modo, decocti, admiſtis diureticis, quæ poſt ſufficientem corporis purgationem commendantur. Celebris quoq; eſt, & vſitatus ſyrupus Auguſtini Niphi, aliuſq; ei ſimilis de polypodio.

CXLVIII. Inter auxilia aluum ſine virium iactura notabili ducentia, laudatur aqua medicata, in Hetruria ſcaturiens, de Tettuccio dicta, quæ, vbi in viſceribus nulla adeſt inflammatio, neq; calida & ſicca intemperies, neq; corporis extenuatio, poſt præcedentem purgationem, in ea hypochondriacæ affectione, quæ à fæculento humore non aduſto, vel à pituita craſſa naſcitur, locum habere poterit, cautela ſingulari adhibita, ne importunè, ac ſæpiùs quàm oporteat, pota, ſiccando obſit, vt parenti ſuo accidiſſe Vidus Vidius ſcriptum reliquit.

CXLIX. Galenus ſtatuere videtur, in affectibus melancholicis, euacuandum eſſe συνεχῶς, (cui adſtipulatur Ariſtoteles) quod aliqui exponunt continuò ac indeſinenter, euacuantia hoc nomine præparãtibus admiſcentes, vt quotidie quod præparatum eſt, ſuauiter educatur, hunc vſum

Libr. 2. ad Glauc.
Lib. 7. Eth. in fine.

præſtant ſyrupus de epithymo, è pomis regis Saporis Meſuæ, ſicut & ille Altomarij lib. de medend. hum. corp. malis deſcriptus, quo, ſe melancholicos hypochondriacos, facta prius purgatione quadam, curaſſe affirmat.

CL. Alij per duos, vel tres dies purgant, deinde totidem quieſcunt, poſtea ad purgationem redeunt, Stratonicum Galeni præceptorem imitati, qui ſanguine, quatuor diebus, quotidie miſſo, per tres dies pharmacum dedit.

Gal lib. de atra bile.

CLI. Alij viam tenent mediam, omnium ſecuriſſimam, tribus nempe diebus præparantia, quarto purgantia offerentes, eaq; ratione per aliquot dies procedunt.

CLII. Vbi melancholicus ſuccus fæculentus, viſcera & meſenterium obſtruxerit, nihil conuenientius efficaciuſq; inuentum eſt, vſu chalybis præparati, factis prius factitandis, ritè adhibito.

CLIII. In hoc caſu, vtiliſſimum quoq; eſt abſynthium, cuius ſuccum Aretæus commendat, inſtar fabæ exhibendum, quæ doſis cum perexigua ſit, doctiſſimus Mercurialis, pro κυάμȣ, legendum cenſet κυάθȣ, verùm ſi de ſucco per coctionem inſpiſſato, vti ſuccus liquiritiæ & aliorum ad ſpiſſitudinem percoqui ſolet, intelligatur, locus correctione non eget.

CLIV. Therapiæ per decocta guaiaci, ſarſapariglię, ſaſſaphras & chinæ, item per aquas minerales ſpontè naſcẽtes, potu vel balneo, multis alijs in morbis inſtitui ſolitas, in melancholia, cuius cauſa, vel per idiopathiam, vel per ſympathiam cum toto corpore in cerebro eſt, inutiles ac noxiæ habendæ ſunt, & proinde omittendæ.

CLV. In hac hypochondriaca, commendat præſtantiſſimus Mercurialis, adhibitis prius adhibendis, chinæ cum carne pulli gallinacei, vel columbini decoctum, addito ligni

to ligni ſaſſaphras pauxillo, quod de illa affectionis huiuſce ſpecie, quæ cum ſiti, hypochondriorumq; æſtu coniuncta non eſt, haud dubiè intelligendum venit.

CLVI. In eundem vſum, proponuntur, alijs præmiſſis, aquæ Regienſis agri, Aquariæ nuncupatæ, alumine ac ſale imbutæ, ac ferè temperatæ.

CLVII. Vbi ventriculus & hepar, calidiore diſcraſia laborant, qua chylum & ſanguinem aduri contingat, inter alias complures, Lucenſes à villa nomen habẽtes, à ferro verò præcipuas vires obtinẽtes, ab Italis medicis celebrantur.

CLVIII. In eodem affectu, eandem operam, maiore cum delectatione palati, nec minore efficacia præſtant acidi fontes, quales Germania habet quàm plurimos, nemini non notos.

CLIX. Ne verò minerales aquæ, ſiue calidæ ſint, ſiue frigidæ, potæ in corpore, ſaltem ex parte, retineantur, multiſq; modis incommodent, atq; ægros in vitæ diſcrimen adducant, hoc opus, hic labor eſt. Non mediocrem igitur medici prudentiam, ac dexteritatem, in earum vſu ſuadendo, ac dirigendo, neceſſariam exiſtimamus.

CLX. De alijs præſidijs, tàm internis, quàm externis, ventriculum roborantibus, flatus diſcutientibus, ac reliqua ſymptomata mali huius corrigentibus, cùm apud claſſicos authores, quàm plurimæ formulæ reperiantur, breuitatis ſtudio ſcribere ſuperſedemus.

Et lucem, & typos, merito ſuo merentur Theſes iſtæ, de melancholia, doctæ & accuratæ, quia nihil contra fidem, bonoſue mores continent.

Iacobus Gretſerus, ſociet. Ieſu, Collegij Theologici pro tempore Decanus.

Aſſertiones has de melancholia, eruditè, ac luculenter conſcriptas, typis, & luce publica digniſſimas eſſe iudico.

Philippus Menzelius, Med. D. eiuſdemque apud Ingolſtadienſes Profeſſor ordinarius.

AD DOMINVM RESPONDENTEM, AMORIS ERGO ACCINEbat, Clariſſimus vir, VVendelinus Iung Philoſophiæ & Medicinæ Doctor.

SI potis eſt vnguis, generoſi membra leonis,
Si ſublimis in aſtra volatus
Armigerum Iouis Aegiöchi, ſi carmina cycnum,
Abſtruſamq́; feram pedis index
Prodere: quem tenebræ tanta caligine opacent,
Vt quantum proceſſeris artis
Pæoniæ ſtudio, non intueatur? abundè
Hoc ipſum, licet omnia deeſſent,
Materies θέσωρ, *penitis exucta medullis*
Doctrinæ medicæ loqueretur.
Nunc ergò macte eſto noua virtute Georgi,
Erigere, & caput altius effer,
Cui labor aßiduus comes hactenus adſtitit, & cui
Munera ſæpè ſoporis ademit.
Hic labor ipſe iubet fatis melioribus vti,
Spemq́; bonam menti oggerit vltrò.
An neſcis vendi à ſuperis quæcunq́; labore
Dona, & laudibus eſſe laborem
Propoſtum pretium? an non iam propè tertius annus
Voluitur, ex quo crebra dediſti
Fælicis documenta vſus, quo pellere morbos
Morborumq́; fibras noua in ade

Aegro-

Ægrorum ſolitus? percuſſa cupidine tota vrbs,
Te ſibi iam pridem expoſcit: egeni
Te paßim inquirunt, nullo, quibus, ære, ſalutem
Rettulit, amiſſam, tua dextra;
Quod ſupereſt, cæptis inſiſte viriliter, vrge,
Quæ iam præ manibus tibi, pugnam.
Fautor Apollo aderit, nec te ſuccumbere, quamuis
Hoſtibus indomitis, patietur.
Tandem aderit gnarus vincendi, artiſq; peritus
Hollyngus, quo præſide tutus,
Æternos laudum titulos, nomenq; perenne,
Et decus immortale parabis.

ALIVD, AD EVNDEM,
Guilielmi Mermanni.

Quid latitare iuuat, tàm longo tempore in vmbra,
Et gymnicas prælusiones ludere?
Iam ſignata nouo tibi ſunt quinquennia luſtro,
Ex quo palæſtram ingreſſus es Machaonis,
Iam ſol bis totum, mediumq; recurrit in orbem,
Ex quo præhendis arma MERMANNO *duce,*
Arma quibus Pæon ſolertes armat alumnos,
Vſuq; non vmbratili explorat ſuos.
Quin igitur prodis, & Marte laceßis aperto
Quotcunq; ad arma diſputando te vocant.
Exerta vires, & ſpicula miſſa retorque
In hoſtium cuneos, virile pectore.
Anne modum rogitas? ATRÆ *quæ* BILIS *origo,*
Quæ cauſa ſit, cur literatos acrius
Infeſtet, ratione doce, victoria certa eſt,
Quæ lauream, ſpondet, corollam, vertici.
Tu modò quod ſupereſt, munitus ab arte Georgi,
Hæc auſpicare prælia, hoſtes corruent.

ALIVD AD EVNDEM,

Thomæ Mermanni Iunioris.

Diua tibi quondam Sophia accumulauit honorem
Supremum, & capiti laurea ſerta tulit.
Nunc medica documenta artis, te ſpontè daturum,
Ornabit, medici præſes Apollo chori.
Nec dubitare licet: promiſſa patrabit Apollo,
Quamuis contineat triſtia multa theſis.
Materia eſt ſtudijs aptiſſima, ſcilicet vnde,
Aut quo promanet fonte Melancholia,
Hanc inhibere paras, hanc mentis ab arce fugare,
Hanc doctorum hominum ſedibus eijcere.
Propitium ergò tibi quis Phæbum neſciat? Ecquis
Ambigat, hunc laudi velle fauere tuæ.

MONACHII,

ANNO M. DCII.

1038.18
2

99 966902